

dam exercitium, dum tulit ætas vni tandem cuncta cesserunt. Fuit illi in vrbe Neapolitana palatio confine pomerium, præaltis circumseptum mœnibus, & pelago non modica ex parte circûfluxum, huc modò cum paucis, modò cum ingenti procerum caterua quotidie veniens, Balista lusitabat, idque tam sedulo, vt confestim ( tantum erat & tam ad omnia versatile cœlestis acumen ingenij ) eos artificij magistros post tergum linqueret, Quæ res primum non hostibus modò, sed suis quoque minus venerabilem fecisse creditur, ignorantibus quantum negotiorum sub illo ocio tegeretur. Quod vbi tandem rebus ipsis innotuit, contemptus omnis in admirationem & gloriam versus est. Interfui ego sæpè numero, dum de dimetiendis iectibus accliuis, singulorum sagittas internosceret, interea tamen dum eundo & redeundo tempus teritur, & senile corpus recrearet, & acres subiectorum controuersias vix quæ extricabiles populorum nexus absolueret, quid notissima replicè? Constat hunc inermem ludentem quæ, quod omnes vidimus, armatos exercitus fudisse, & grauissima sæpè discrimina, non tantum à